



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Syntagmata Theologica Sive Principalis Theologiæ Tractatus**

Continet triplicem Tractatum: Primus est de Conscientia. Secundus agit de Merito. Tertius de Reviviscentia meritorum.

**Lourenço, Agostinho**

**Leodici Eburonum, 1692**

Sectio XXIII. Solvuntur argumenta in contrarium adducta.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80151](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80151)

## Solvuntur argumenta in contrarium adducta.

mortem æternam per peccata admiffa, & nondum remiffa; mereri autem vitam æternam, & fimul mortem æternam, quæ illius carentiam fignificat, repugnantiam includit; talis enim homo deberet vivere in æternum, & non vivere, fed mori in æternum; mori in æternum, & non mori, fed vivere in æternum; ergo &c.

473. Quarta, quia fi quis nondum regeneratus poffet fuis operibus verè mereri vitam æternam, poffet etiam propriè mereri ipsam gratiam iustificantem; fi enim potest mereri gloriam, quæ est gratia confirmata, cur non poterit mereri gratiam, quæ est gloria inchoata; fed omnes Theologi confentiunt, & Concil. Trid. feff. 6. cap. 8. expreffè affirmat, gratiam iustificantem, per quam iustificamur formaliter, & est principium meriti, non cadere fub meritum; ergo &c.

474. Quinta, nam qui est moraliter inhabilis ad merendum, licet in re obfequia præftet, non potest per illa mereri; fic enim perfona inhabilis ad contrahendum, licet re ipsâ cum alio pacificatur, non potest validum contractum celebrare, ut in doctrina morali constantiffimum est; fed peccator est moraliter inhabilis ad merendum; fiquidem per peccatum est indignus moraliter ad præftanda Deo obfequia fupernaturalia, & ut talia obfequia habeantur pretio apud Deum; hæc autem indignitas est quædam inhabilitas ad merendum; ergo peccator non potest mereri apud Deum per obfequia fupernaturalia elicitâ in peccato.

475. Dicent primò, Deum poffe tollere eam inhabilitatem peccatoris per remiffionem peccati fupervenientem operibus bonis ipfius peccatoris, ficquè poffe tunc per illa mereri apud Deum. Sed contra, quia remiffio peccati, & habitas fuperveniens ad obfequia, & præmium, non poffunt præcedentia opera femel inhabilia habitare ad meritum, & confequutionem præmii, fed neceffarium est, ut alia de novo eliciantur. Patet, quia fuperveniens habitas perfonæ ad contrahendum non potest validare contractum femel irritum, fed debet alius de novo celebrari; ergo etiam fubfequens iustificatio, & dignitas non potest tollere indignitatem, & inhabilitatem præcedentem ad merendum per opera fic elicitâ, fed debent alia de novo elici.

476. Dicent fecundò, Deum tollere inhabilitatem peccatoris ad merendum femel, quòd ei tribuit auxilia fupernaturalia ad præftanda obfequia fupernaturalia, eisdemque promittat vitam æternam pofft remiffionem peccati cõfequendam; fiquidem meritum in actu primo confequitur tanquam proprietas bonitatem moralem operis, & in actu fecundo tribuit jus ad præmium eò ipfò, quòd ei promittitur à Deo. Sed contra, quia Deus tribuens ea auxilia, folùm tribuit habitatem phyficam ad elicienda illa opera, non autem moralem ad merendum per illa, quàm diu non tollit indignitatem contractam per peccatum, quæ est poffitiva inhabilitas ad merendum, & moralis indignitas, ut ea dona peccatori concedantur, & illas opera pretio, & æftimatione habeantur apud Deum.

477. Patet, quia perfona iure naturali inhabilis ad contrahendum, qualis à plerisque cenfetur, qui alteri contrahenti vim infert, nullo iure poffitivo potest moraliter habitari ad valorem contractus, licet phyficè cum alio pacificatur; ergo etiam peccator, licet phyficè præftet obfequia fupernaturalia, tamen existente peccato, per quod ratione fux malitiæ est intrinsecè indignus, & moraliter inhabilis apud Deum, non poterit per illa mereri præmium de condigno.



ARGUES I. Scriptura Divina promittit vitam æternam in præmium bonorum operum, & obfervantiæ legis, nullâ factâ mentione gratiæ fânctificantis, ut conftat Ecclefiâft. 15. *Si volueris mandata fervare, confervabunt te.* Et Matt. 19. *Si vis ad vitam ingredi, ferva mandata.* Et Matt. 5. *Beati pauperes fpiritu, quoniam ipforum est regnum calorum.* &c. Et Matt. 25. *Poffidete paratum vobis regnum; eforviri enim.* &c. Et ad Rom. 2. *Factores legis iustificabuntur.* &c. ergo fruſtra requiritur ulterius ſtatus gratiæ in operante ad merendum de condigno vitam æternam. Refpondeo negando confequentiam; neque enim opus eſt, quod in ſingulis Scripturæ locis numerentur ſimul omnes conditiones requiſitæ ad meritum, fed ſatis eſt, quod in aliis exprimitur, & nullibi excludantur; ſufficienter autem exprimitur prædicta conditio Joan. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & fpiritu Sancto, &c.* Et Rom. 8. *Viſſicat corpora noſtra propter inhabitantem ſpiritum eius in nobis.* Et ad Tit. 3. *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis;* aliisque locis ſupra cit.

Additur, quod ſi quis omnia mandata ſervaret, ſalvaretur quidem; cum tamen inter hæc omnia ſit etiam illud primum, & maximum mandatum de dilectione Dei ſuper omnia, hoc non potest ab hominibus nondum regeneratis perfectè obſervari; ſiquidem dilectio Dei ſuper omnia, aut non potest haberi, niſi per gratiam gratum facientem, & ſpiritum cor inhabitantem; aut ſi potest haberi per auxilium Dei ſpeciale, ſtatim ad eum tanquam ad ultimam diſpoſitionem ſequitur infuſio gratiæ ſânctificantis, ac in filium Dei adoptantis.

ARGUES 2. D. Petrus Act. 10. 34. & D. Paul. Rom. 2. 11. (& sæpè alibi) docent, Deum non eſſe acceptorem perſonarum, ſed gloriam, & honorem tribuere omni operanti bonum; ergo ad meritum vitæ æternæ non requiritur exaltatio naturæ ad quoddam eſſe ſupernaturale per gratiam, ſed ſola obedientia legis; alioqui Deus eſſet perſonarum acceptor. Refpondeo cum D. Aug. lib. 2. cap. 7. contra duas epiſtolas Pelagianorum, acceptio nem perſonarum eſſe vitium oppoſitum iuſtitæ, non autem miſericordiæ, & liberalitati; ficquè ſolum habere locum in iudice, non autem in eo qui liberaliter donat. Unde Deus in iudicio ſine acceptio nem perſonarum, reddet unicuique ſecundum opera ſua; at verò opera bona naſcuntur, ex gratia, & iuſtificatione præcedente, quam Deus non ut iudex, ſed ut Princeps liberaliter donat. Licet itaque Deus in iudicio non reſpiceret dignitatem perſonæ, ſed ſolam obedientiam legis, adhuc neceſſaria eſſet exaltatio illa naturæ ad quoddam eſſe ſupernaturale per gratiam, utpote ſine qua haberi non poſſunt merita vitæ æternæ.

ARGUES 3. Concil. Arauf. can. 18. docet deberi mercedem bonis operibus, ſi ſiant, ſed gratiam, quæ non debetur, præcedere, ut ſiant; ergo non requiritur ad meritum aliqua exaltatio naturæ per gratiam iuſtificantem, ſed ſola gratia benè operandi. Refpondeo gratiam benè operandi, & adoptantem homines in filios Dei, & illos exaltantem in conſortium Divinæ Naturæ, unam, & eandem eſſe, nempe charitatem infuſam in cordibus noſtris per ſpiritum Sanctum, qui datus eſt nobis. Nam ſi conſideretur

ut virtus, dicitur gratia bonæ operandi; si autem ut forma inhærens animæ, eamque divinam redens, dicitur gratia adoptionis filiorum. Unde idem Concil. can. ult. docet, debere homines per Baptismum regenerari, ut possint legem implere, sicut oportet, id est merendo vitam æternam.

485. Argues 4. D. Aug. lib. 1. de liber. arbitr. cap. 6. dicit, lege naturæ constitutum esse, ut boni beatam, & mali miseram vitam ducant; lex autem naturalis non respicit statum gratiæ adoptionis; ergo &c. Respondeo D. Aug. non dicere lege naturæ, sed lege æternæ: neque loqui de vita Beata, quæ consistit in Visione Dei, sed de vita beata in genere. Unde illius sententiæ est, lege æternæ, & immutabili constitutum esse, ut boni bonæ, & mali malè recipiant, ita tamen, ut si boni sint boni bonitate supernaturali, supernaturalem bonitatem consequantur: si autem sint boni solâ bonitate naturali, simili etiam beatitudine sint beati.

485. Argues 5. Idem D. Aug. lib. de Nat. & Grat. cap. 2. Natura, inquit, humani generis ex illius unius peccatoris carne procreata, si potest sibi sufficere ad implendam legem, perficiendamque justitiam, de premio debet esse securus, hoc est, de vita æternæ, etiam si in aliqua gente, aut in aliquo superiori tempore, fides eam latuit Sanguinis Christi. Non enim est injustus Deus, qui justos fraudet mercede justitiae. Ubi videtur refellere sententiâ Pelagianorum dicentium, posse hominem suis viribus legem implere, & tamen egerè gratiæ adoptionis, & regenerationis, ut possit obtinere regnum caelorum; sed ex hac refutatione sequitur, D. Aug. in ea fuisse sententiâ, non esse scilicet opus gratiæ adoptionis ad obtinendam vitam æternam, sed solâ gratiâ, quæ juvaret ad legem implendam, perficiendamque justitiam; ac proinde meritum pendere simpliciter ex obedientiâ legis, & non ex dignitate personæ per gratiam dignificatæ; ergo &c.

484. Respondeo propositionem illam conditionatam D. Aug. verissimam esse, nempe, Si homo sine fide Christi possit solis suis viribus implere legem, de premio vitæ æternæ debet esse securus: exinde tamen non sequitur, necessariam non esse gratiam adoptionis ad meritum; siquidem, ut docet idem D. Aug. lib. 1. ad Bonifacium cap. 2. non vivunt rectè homines, neque per hoc legem implent, ac justitiam perficiunt, nisi prius filii Dei efficiantur.

485. Neque D. Aug. loco supra cit. Pelagianos refellit, quod assererent, gratiam adoptionis esse necessariam; siquidem hujus rei toto illo libro non meminit; sed tantum refellit errorem cujusdam, qui naturæ humanæ nimum tribuebat. In aliis locis D. Aug. tribuit Pelagianis, quod requirerent gratiam adoptionis necessariam ad vitam æternam obtinendam; de hoc tamen eos non reprehendit, sed quod eam negarent necessariam in parvulis ad originale purgandum; & in adultis ad mandata divina implenda.

486. Dices: Ex illâ conditionatâ D. Aug. Si homo sibi sufficeret ad legem implendam, & justitiam perficiendam, de premio vitæ æternæ deberet esse securus: sequitur, non esse necessariam gratiam adoptionis ex parte subiecti, sive personæ operantis, sed tantum ex parte operis; ergo &c. Respondeo negando sequentiam, jam enim diximus supra num. 481. eandem gratiam infusam, quæ perficit subiectum, sive personam, esse etiam principium operis.

487. Argues 6. Ad meritum sola consideranda est bonitas operis, prout habet proportionem cum præmio; sed opus moraliter bonum procedens ex auxilio gratiæ semper habet eandem bonitatem, &

proportionem cum gloriâ, sive fiat ab homine habente, sive non habente gratiam habitualem; ergo &c. Respondeo negando majorem; ad meritum enim de condigno non est consideranda sola proportio inter actum, & præmium, sed etiam inter personam merentem, & ipsum præmium, sicque illius dignitas, per quam tanquam per conditionem necessariam proportionatur, consideranda est. Unde seclusâ eâ dignitate, sive gratiæ adoptionis, non datur sufficiens proportio, & valor moralis, neque in persona merente, neque in actu, licet supernaturali ad condignitatem gloriæ. Accedit, quod si argumentum valeret, etiam probaret, opera hominis existentis in peccato, prout procedunt ex auxilio gratiæ, esse condignè meritoria vitæ æternæ, quæ erat Bani damnata sententiâ.

Instabis: Ad demeritum sola qualitas operis mali, & non personæ operantis attenditur; ergo etiam ad meritum sola qualitas operis boni, & non personæ merentis attenditur. Respondeo primò negando antecedens, quod non est universaliter verum, aliquando enim ad demeritum valde conducit conditio personæ operantis; sic enim peccatum commissum à personâ publicâ, aut digniore, gravius esse solet ex ea parte: quod etiam accidit inter homines, inter quos gravior reputatur injuria homini per viliozem, quàm per nobiliozem personam.

Respondeo secundò, dato antecedente, negando consequentiam; diversa ratio est, quia plura requiruntur ad meritum, cum sit bonum; bonum autem non, nisi ex integra causa; quàm ad demeritum, cum sit malum; malum autem ex quocunque defectu; ideoque ad peccandum, & merendum supplicium æternum sufficit libertas arbitrii, & quod opera sint Deo, & rectæ rationi contraria: at verò ad merendum vitam æternam non sufficit liberum arbitrium, neque quod opera sint Deo, & rectæ rationi conformia, sed ulterius requiritur quod sint à Deo per auxilium supernaturale gratiæ adjuvantis, & per gratiam habitualement sanctificantem.

Additur, quod, ut peccato debeatur pœna, nulla conventio, aut promissio necessaria est; siquidem qui alterum lædit, justitiam violat, sicque citetur satisfacere ex justitiâ, etiamsi nulla promissio intercesserit: at verò, ut bono operi debeatur merces ex justitiâ, necessaria est conventio, aut promissio; neque enim tenetur quis alterius obsequia acceptare cum obligatione præmiandi illa, nisi conventio, aut promissio intervernerit; Deus autem non promissit mercedem vitæ æternæ, nisi per Christi gratiam regeneratis, & adoptatis, ut patet ex supra dictis.

Argues 7. Homo existens in peccato mortali, licet sit incapax merendi gloriam, quæ est hæreditas solis filiis per gratiam debita; est tamen capax merendi Fidem, Spem, & alia dona supernaturalia; ergo saltem hæc poterit de condigno promereri; consequenterque ad meritum de condigno non requiritur status gratiæ. Respondeo negando antecedens; peccator enim cum sit Dei inimicus, licet sit capax recipiendi hæc dona supernaturalia ex Misericordiâ, & Liberalitate Divinâ, est tamen in eo statu incapax ut illa condignè promeretur, licet hæreditas non sint, ut constat ex dictis, & ex dicendis constabit.

Instabis: In rebus naturalibus potest homo aliquid mereri apud alium hominem etiam inimicum, & ante reconciliationem cum illo; ergo etiam existens inimicus Deo per peccatum mortale, poterit ante reconciliationem mereri apud illum aliquid de condigno, nempe vitam æternam, aut aliud

aliud supernaturale. Respondeo primò dato antecedente, negando consequentiam; diversa ratio est: Primò, quia homo licet inimicus, potest facere aliquod opus, quod sit in utilitate inimici; hoc autem opus postulat ex iustitiâ recompensationem æqualem, & sic potest operarius mereri suam mercedem laborando in vineâ inimici; & non sic possunt homines mereri apud Deum, qui nullam recipit utilitatem ex eorum operibus. Secundò, quia homo ob aliquod egregium facinus potest mereri laudem apud inimicum; neque enim illius inimicitia facit illum indignum omni laude, sicque neque omni præmio: at verò inimicitia cum Deo reddit hominem indignum omni laude, sicque omni merito, quod in laudabilitate fundatur: imò illum reddit indignum omni bono, & ipsâ etiam vitâ, quibus omnibus possit iustè spoliari.

493. Respondeo secundò retorquendo argumentum: Primò, quia homo non potest mereri amicitiam sui inimici, nisi per condignam satisfactionem injuriæ; ergo neque mereri amicitiam Dei, nisi per condignam satisfactionem injuriæ Deo illatæ; sed non sic condignè Deo satisfacere; ergo neque apud Deum condignè mereri. Secundò, quia nullus quamdiu existit in crimine læsæ Majestatis humanæ, potest aliquid mereri apud Regem humanum, quod ei debeat ex iustitiâ; ergo neque sic merebitur apud Regem Divinum, quamdiu permanserit in crimine contra illum commissio.

494. Argues 8. Saltem in opinione asserente habitum charitatis esse formam sanctificantem, poterit homo existens in mortali promereri de condigno vitam æternam absque gratia habituali; ergo hæc non est conditio necessariò requisita ad meritum de condigno. Respondeo primò supponi falsò, habitum charitatis esse formam sanctificantem, cum sit realiter distinctus à gratia habituali, quæ forma est sanctificans formaliter, ut docent D. Thom. D. Anton. Alens. Caiet. Conrad. Ferrar. P. Soar. lib. 6. de Grat. cap. 12. num. 1. P. Valent. P. Torres. & alii, quos citat, & sequitur P. Ripal. tomo 2. lib. 6. d. ult. sect. 4. num. 66. Et patet ex illo 2. Cor. 13. Gratia Domini nostri IESU-Christi, & charitas Dei. &c. Et 1. Tim. 5. Superabundavit gratia Domini nostri IESU-Christi cum fide & dilectione: Ubi gratia à charitate distinguitur.

495. Respondeo secundò, admittens opinionem non distinguente gratiam habituales ab habitu charitatis, quam tuerent Richard. Scot. D. Bonav. Durand. P. Bellarm. lib. 1. de grat. & liber. arbitr. cap. 6. P. Agid. de Charit. d. 21. dub. 7. num. 79. P. Less. lib. 12. de Perfect. Divin. num. 76. & alii apud P. Ripal. cit. num. 53. hominem in eo eventu non mereri quidem per actum charitatis primò justificantem; siquidem non procederet ab illo ut justificato, sed per alios subsequentes, ex quo non sequitur, mereri de condigno vitam æternam absque forma ipsam antecedenter justificante, quod intendimus.

## SECTIO XXIV.

*Quid dicendum in statu naturæ integræ, & puræ: aut etiam corruptæ in ordine ad merenda bona temporalia?*

496. **D**ico 2. In statu naturæ integræ ad meritum condignum vitæ æternæ necessaria etiam erat gratia sanctificans. Ita D. Thom. cit. art. 2. P. Tanner. cit. n. 33. & alii

supra cit. Est communis. Probatur primò ex Pio V. & Greg. XIII. damnantibus aliquas propositiones Michaelis Baii, quarum prima hæc erat: *Neque Angeli, neque primi hominis adhuc integri merita rectè vocantur gratia.* Et tertia: *Et bonis Angelis, & primo homini, si in statu illo perseverasset usque ad ultimum vitæ, felicitas esset merces, & non gratia.* Et quarta: *Vita æterna homini integro, & Angelo, promissa fuit intuitu bonorum operum, & bona opera ex lege naturæ ad illam consequendam per se sufficiunt:* ex quarum damnatione satis constat ad meritum de condigno necessariam fuisse gratiam sanctificantem etiam in statu naturæ integræ; ergo &c.

Probatur secundò, quia testimonia Scripturæ, Conciliorum, & Sanctorum Patrum supra citata simpliciter, & in omninaturæ statu, gratiam filiorum Dei requirunt ad meritum condignum vitæ æternæ; ergo &c. Tertio, quia ex opposito sequitur, hominem per opera antecedentia justificationem, posse etiam mereri de condigno ipsam justificationem, & filiationem divinam; siquidem qui promeretur terminum, & finem ultimum, promeretur etiam media ad eum necessaria, quæ non habet; sequela autem est falsa, ut infra dicemus; siquidem principium meriti non cadit sub merito; ergo &c.

Dico 3. In statu puræ naturæ non poterat homo mereri de condigno beatitudinem supernaturalem: poterat tamen, interveniente promissione divinâ, per opera bona moralia verè ac propriè mereri de condigno beatitudinem naturalem. Ita quoad primam communis Doctorum sententia cum D. Thom. 1. 2. quest. 114. art. 2. Quoad secundam verò, illam tradit Zumel. 1. 2. quest. 114. art. 2. cit. dub. 2. P. Tanner. rom. 2. d. 6. quest. 6. dub. 2. num. 34. videtur; ex mentaliorum.

Probatur prima pars, quia opus condignè meritorium beatitudinis supernaturalis, debet habere cum illa proportionem; sed neque ipsa natura in puris naturalibus, neque illius opus naturale, absque dono gratiæ superaddito, habent sufficientem proportionem cum beatitudine supernaturali consequendâ; ergo &c. Confirmatur, quia non erat conveniens rerum naturis, ut homo gratiâ destitutus mereretur beatitudinem supernaturalem, nisi etiam promeretur gratiam ipsam sanctificantem, quæ ad eundem finem consequendum ordinatur ut medium; sed homo in eo statu non poterat condignè promereri gratiam, ut diximus; ergo neque vitam æternam, sive beatitudinem supernaturalem.

Probatur secunda pars, quia in eo eventu & ipse homo operans, & illius opera bona naturalia non habent minorem proportionem cum beatitudine naturali, quam modò habet homo justus, ejusque opera supernaturalia cum beatitudine supernaturali; sed hic per opera supernaturalia meretur de condigno beatitudinem supernaturalem; ergo etiam ille per opera bona naturalia mereretur de condigno beatitudinem naturalem; potuisset enim Deus, si vellet, adungere promissionem.

Quæres tamen hic: Quid facturus esset Deus in eo statu, si homo non peccaret? Respondeo, id satis non constare; poterat tamen Deus hominem, si non peccaret, ad naturalem beatitudinem ordinare, quin interim promitteret beatitudinem illam tanquam mercedem, propter opera. Quo facto, homo quidem consecutus fuisset finem suum, sicut lapis consequitur suum centrum per motum naturalem, sed non per modum meriti, & præmii.